

The Pseudo-Gildas Recension of *Historia Brittonum*

Introduction

Keith J Fitzpatrick-Matthews © 2106

This edition of the text of *Historia Brittonum* in the version ascribed to Gildas (which, for the sake of convenience, can be labelled the Pseudo-Gildas Recension) appears to be the first attempt to produce an accurate text of this recension. Dumville avoided it in his PhD thesis on the grounds that it is closely related to the Harleian Recension (indeed, Dumville wrongly believed Pseudo-Gildas to be a derivative of it), it is attested in so many manuscripts that an annotated collation of variant reading would be too cumbersome and that it is unimportant to the establishment of the original text (Dumville 1975, 509). While some sympathy can be given to the view that a critical apparatus giving variant readings from each of the twenty-six manuscripts would be bulky and of questionable relevance – all versions derive from a single surviving manuscript, Oxford Bodleian Library MS Bodley 163 (Dumville's B, Petrie's K and Mommsen's *spec.* 11), it may be worthwhile to collate the readings of the five sub-groups of the recension. Moreover, this recension is a witness independent of the additions to the Harleian Recension that allow for a more accurate assessment of the contents of the Computistical text produced in 859, for which no manuscripts have survived.

For this edition, I have followed the orthography of the writer of the primary manuscript with the exception of providing e-caudata (ę) in locations where the writer uses a simple e for the classical digraph ae; I have also expanded all contractions without comment. Capitalisation follows the inconsistent practice of the manuscript, while the chapter divisions are also those of the manuscript, although I have taken the liberty of numbering them for convenience.

This text is a work in progress. At some point, I will add variant readings from the other sub-groups but not individual manuscripts. There may also be errors of transcription, although it should be noted that some readings by previous editors are incorrect.

Bibliography

Dumville, D N 1975 *The textual history of the Cambro-Latin Historia Brittonum*. Unpublished thesis presented to the University of Edinburgh for the degree of Doctor of Philosophy. Available at <https://www.era.lib.ed.ac.uk/bitstream/1842/8972/4/Dumville1975.pdf>

Keith J Fitzpatrick-Matthews
11 June 2016

Incipiunt gesta Britonum a Gilda sapeinte composita

- I A principio mundi usque ad diluuium anni duo milia ducenti quadraginta duo. A diluuiio usque ad Abraham anni nongenti quadraginta duo. ab Abraham usque ad moysen anni sescenti quadraginta. a moyse usque ad Daudid anni quingenti. Et a Daudid usque ad nabuchodonosor anni quingenti sexaginta nouem. Ab Adam itaque usque transmirationem Babiloniae anni computantur quatuor milia septaginta nouem. Et a transmiratione Babiloniae usque ad Christum quingenti sexaginta colliguntur. ab Adam uero usque ad passionem Christi anni sunt quinque milia ducenti uiginti tres. a passione autem Christi peracti sunt anni septingenti nonaginta sex. Ab incarnatione autem eius anni sunt octingenti triginta uno. Prima igitur ętas ab Adam usque ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad Daudid. Quarta a Daudid usque ad Danielelem. Quinta a Danielele usque ad Iohannem Baptistam. Sexta a Iohanne Baptista usque ad iudicium quando ueniet iudicare dominus noster Iesus Christus uiuos ac mortuos et seculum per ignem.
- II Britannia insula a quodam Bruto consule Romano uocatur. hec autem surgit ab africa boreali ad occidentem uersus. octingenti in longitudine milium, ducenti in latitudine porrigenens spatium. In ea sunt uiginti octo ciuitates et innumerabilia promontoria uidelicet innumeris castellis ex lapidibus et latere fabricatis. In ea habitant quattuor gentes Scotti, Picti atque Saxones et Britones.
- III Tres magnas insulas habet, quarum una uergit contra Armoriacas et uocatur insula With. Secunda sita est in umbilico maris inter hiberniam et Britanniam; uocatur nomen eius Eubonia manui. Alia sita est in extremo limite orbis Britannię ultra Pictos et uocatur Orcania. Sic enim in prouerbio antiquo dicitur, quando de iudicibus uel regibus sermo fit: 'iudicabit Britanniam cum tribus insulis'. Sunt in ea multa flumina, que confluent ad omnes partes, id est ad Orientem, ad Occidentem, ad Meridiem, ad Septentrionem. Sunt tamen duo flumina preclariora ceteris fluminibus Tamensis ac Sabrinę quasi duo brachiatoria Britannię, per que olim rates uehebantur ad deportandas diuitias causa negotiationis. Britones etiam iam olim impleuerunt eam et iudicauerunt a mari usque ad mare. si quis scire uoluerit quo tempore post Diluuium habitata est, hoc experimentum bifarie inueni.
- IV In Annalibus autem Romanorum sic scriptum est. ęneas post Troianum bellum cum Ascanio id est Iulo filio suo uenit ad Italiam et superato Turno accepit Lauiniam filiam Latini filii Fauni filii Pici filii Saturni in coniugium. et post mortem Latini regnum obtinuit Romanorum. Ascanius autem Albam condidit et postea uxorem duxit et peperit ei filium nomine Siluium. Siluius autem duxit uxorem et grauida fuit. Et nuntiatum est ęneę quod nurus sua grauida esset et misit ad Ascanium filium suum ut mitteret magum suum ad considerandam uxorem. et exploraret quid in utero haberet, si masculum uel feminam. Et uenit magus et

considerauit mulierem et reuersus dixitque Ascanio Eneę filio quod masculum haberet uxor eius in utero et fetus mortis erit, quia occidet patrem suum et matrem suam et erit exosus omnibus hominibus. propter hanc uaticinationem occisus est magus ab eis. Et sic euenit: in natiuitate illius mulier est mortua et nutritus est filius uocatumque est nomen eius Bruto. Post multum enim interuallum iuxta uaticinationem magi dum ipse ludebat cum aliis, ictu sagittę occidit patrem suum non de industria, sed casu. propter hanc causam expulsus est ab Italia et armininis fuit et uenit ad Insulas maris Tirreni et expulsus est a Gręcis pro causa occisionis Turni, quem Eneas occiderat, et peruenit ad Gallos usque et ibi condidit ciuitatem Turonorum, quę uocatur Turnip. Et postea ad istam uenit Insulam quę a suo nomine accepit nomen, id est Britanniam et impleuit eam cum sua gente et habitauit ibi. Ab illo siquidem tempore habitata est Britannia usque in hodiernum diem.

V Aeneas autem regnauit tribus annis apud Latinos. Ascanius annis triginta septem. post quem Postumus siluii Eneę filius regnauit Annis duodecim, Postumus annis triginta nouem a quo albanorum reges appellati sunt, cuius frater erat Brito in Brittannia. Qua tempestate heli sacerdos iudicabat israhelem et tunc archa domini ab alienigenis possidebatur. Postumus ut diximus apud Latinos regnabat. post interuallum annorum multorum non minus nongenti picti uenerunt et occupauerunt insulas quę orcadés uocantur et postea ex insulis afinitimis¹ uastauerunt non modicas et multas regiones occupaueruntque eas in sinistrali plaga Brittannię et manent usque in hodiernum diem. ibi tertiam partem Britannię tenuerunt et tenent usque nunc. Nouissime autem uenerunt scotti a partibus Hispaniæ ad Hiberniam.

VI Primus autem uenit Bartholomeus cum mille hominibus tam uiris quam mulieribus et creuerunt usque ad quattuor milia hominum et uenit super eos mortalitas et in una septimana omnes perierunt et non remansit ex illis nec unus. Secundus ad hiberniam uenit nimeth quidam filius agnominis qui fertur nauigasse supra mare annum et dimidium et postea tenuit portum in hibernia fractis nauibus eius mansitque ibidem per multos annos et iterum nauigauit cum suis reuersusque ibidem. Et postea uenerunt tres filii cuiusdam militis hispanię cum triginta ciulis apud illos cum triginta mulieribus in una quaque ciula et manserunt ibi per spatium unius anni. et postea conspiciunt turrin uitream in medio mari et homines intuebantur super turrin et quęrebant loqui ad illos. qui nequaquam respondebant, et ipsi uno animo ad oppugnationem turrin properauerunt cum omnibus ciulis suis et cum omnibus mulieribus excepta una ciula quę quassata² erat naufragio, in qua erant uiri triginta totidemque mulieres. Alię naues nauigauerunt ad expugnandam turrin. Et dum omnes descenderunt in litore quod erat circa turrin operuit illos mare et dimersi sunt nec unus ex illis omnibus euasit. De familia illius ciulę quę relicta est ut diximus propter

¹ finitimis

² cassata

confractionem, tota hibernia repleta est usque in hodiernum diem. Et postea uenerunt paulatim a partibus hispanię et tenuerunt regiones plurimas.

Nouissime uenit clam hoctor et ibi habitauit cum omni gente sua usque hodie. In Britannia quoque Istoreth Istorini filius tenuitque dalrieta cum suis. Builc autem cum suis tenuit Euboniam Insulam et alias circiter; filii autem Liethan obtinuerunt regione Demetorum et in aliis regionibus se dilatauerunt id est Guhir cetgueli, donec expulsi sunt a cuneda et a filiis eius ab omnibus regionibus Britannicis.

VII Si quis autem scire uoluerit quanto tempore fuit inhabitabilis et deserta hibernia, sic michi peritissimi scottorum nuntiauere. Quando uenerunt filii Israel transeundo rubrum mare, uenerunt Egiptii et secuti sunt dimersi in mare ut in scriptura refert. Erat in illis diebus uir nobilis de Scithia cum magna familia apud Egiptios expulsus a regno suo. et ibi erat quando egiptii mersi sunt. ipse non iuit ad persequendum populum dei. Illi autem qui superfuerant inierunt consilium ut expellerent illum, ne regnum illorum obsideret et occuparet. quia fratres illorum submersi erant in rubro mare, sicque expulsus est. At ille per quadraginta et duos annos ambulauit per Affricam et uenit ad aras Philistinorum per lacum salinarum et uenit inter Rusicadam et montes azarę et uenit per flumen malua transiitque per maritimam ad columnas herculis. nauigans per mare tirrenum et applicuit ad Hispaniam. habitauitque ibi per multos annos et creuit nimisque multiplicatus est et gens eius multiplicata est. et postea uenit ad hiberniam post mille duobus annos post mersionem Egiptiorum in mare rubro. et uenerunt ad regiones Dalrieta in tempore quo regnabat Brutus apud Romanos a quo consules esse ceperunt. Deinde tribuni plebis ac dictatores et consules rursus rem publicam obtinuerunt per annos quadringentos quadraginta septem que prius regia dignitate damnata fuerat.

VIII Britones uenerunt in tertia etate mundi ad Brittanniam. Scotti autem in quarta obtinuerunt hiberniam. Scotti autem qui sunt in occidente et picti de aquilone pugnant unanimiter et uno impetu contra Britones indesinenter, quia sine armis utebantur Britones. Et post multum interuallum temporis Romani monarchiam totius mundi obtinuerunt. A primo anno quo saxones uenerunt in Britanniam usque ad annum quartum mermini regis supputantur anni quadringenta uiginti nouem. a natiuitate domini nostri iesu christi usque ad aduentum sancti Patricii [ad Scottos quadringenta quinque anni sunt. a morte Patricii]³ usque ad obitum sanctę Brigidę sexaginta anni sunt. A natiuitate sancti Columkillę usque ad obitum sanctę Brigidę quattuor anni sunt. Initium compoti: uicesimi tertii cicli decemnouennalis. Ab incarnatione domini usque ad aduentum patricii in hiberniam et ipsi annos efficiunt numero quadringentosque triginta octo annorum. Ab aduentu patricii in iam dictam Insulam usque ad ciclum

³ *Omitted in error from
MS 11*

decemnouennalem in quo sumus, uiginti duo sunt cicli, id est quadringenti undecim. et sunt duo anni in ogdoade usque in hunc annum.

- VIII** Aliud experimentum inueni de isto Bruto ex ueteribus libris ueterum nostrorum. Tres filii noe Diuiserunt orbem in tres partes post diluuium. Sem in Asia, Cham in Affrica, Iaphet in Europa. Sic dilatauerunt terminos suos in tres partes quia erant tot fratres. In Asia sunt prouintię quindecim: India, Archadia, Parthia, <Siria>⁴, Persia, Media, Mesopotamia, Capadocia, Palestina, Armenia, Cilicia, Caldea, Suria, Egiptos, Libia. In Affrica sunt prouintię duodecim: Lidia, Cirini, Pentapolis. Aethiopia, Tripolitania, Bizantia, Getulia, <Natabria>⁵, Numedia, Sumeria, Sirtes maiores et minores. In Europa sunt prouintię quartumdecim: Roma, Calabria, Hispania, Alamania, Macedonia, Tracia, Dalmatia, pannonia, Colonis, Gallia, Aquitania, Britannia, <Hiberina>⁶, Aquilonarii infra oceanum. Primus homo de genere Iaphet uenit ad Europam: Alanus nomine cum tribus filiis suis, quorum nomina hec sunt: Ysicion, Armenon, Negro. Ysicio habuit quattuor filios: hi sunt Francus, Romanus, Alamanus et Brito. Armenon autem habuit filios quinque. hi sunt Gothus, Walagothus, Gæbidus, Burgundus, Longobardus. Negro autem habuit filios quatuor quorum nomina sunt hec: Wandalus, Saxon, Bogarus, Targus. Ab hesitione primogenito Alanii ortę sunt iij gentes – Franci, Latini, Alamani et Briti. Ab Armenone autem secundo filio Alanii orti sunt Gothi, Walagothi, Gebidi, Burgundi et Longobardi. A Negro autem tertio filio Boguari, Wandali, Saxones et Tarinci. Istę autem gentes subdiuisę sunt per totam Europam. Alanus autem ut aiunt filius fuit fethemir filii Ougomun filii Toi filii Boib filii Simeon filii Mair filii Ethbath filii Aurthach filii Ecthect filii Oothz filii Abirh filii Ra filii Esra filii Israu filii Bath filii Ioan filii Iobath filii Iaphet filii Noe filii Lamech filii Matusalam. hanc genealogiam inueni ex traditione ueterum qui incolę fuerunt in primo Britannię. Sed redeam nunc ad id unde egressus sum.
- X** Romani autem dum acceperunt dominium totius mundi, ad Britannos miserunt legatos ut obsides et censum acciperent ab illis, sicut accieiebant ab uniuersis regionibus et ab uniuersis insulis. Britanni autem, cum essent tiranni et tumidi, legationem Romanorum contempserunt. Tunc Iulius Cesar cum accepisset singulare imperium primus et obtinisset regnum, iratus est ualde et uenit ad Britanniam cum sexaginta ciulis et uenit in <hostium> Tamensis, in quo naufragium perpesę sunt naues illius dum ipse pugnabat apud dolobellum qui erat proconsul regi Britannico, qui et ipse rex Bellinus uocabatur et filius erat minocanni, qui occupauit omnes Insulas tyrreni maris. Et Iulius Cesar reuersus est sine uictoria cęsis militibus fractis nauibus. Et iterum post spatium trium annorum uenit cum magno exercitu trecentisque ciulis et peruenit usque ad <hostium> Tamensis fluminis et ibi inierunt bellum et multi ceciderunt de equis militibusque suis, quia iam dictus proconsul posuerat sudes ferreos et semen bellicosum, id est cethilou, in uada fluminis quod magnum discrimen fuit

⁴ Scythia?

⁵ Cantabria?

⁶ Hibernia

militibus Romanorum quia hæc ars inuisibilis erat illis, et discesserunt tunc temporis sine pace. gestum est iterum tercio bellum iuxta locum qui dicitur Trinouantum et accepit Iulius imperium Britannicę gentis quadraginta et septem annis ante natiuitatem christi, Ab initio mundi autem quinque milia ducenti quindecim constant anni.

XI Iulius igitur primus in Britanniam peruenit et regnum et gentem tenuit, et in hereditatem illius quintilem mensem Iulium debere decreuerunt uocari Romani. et postea idibus Martiis Gaius Iulius Cæsar in curia occiditur tenente Octauiano Augusto monarchiam totius mundi. et censum a Britannia ipse solus accepit, ut Uirgilius: 'purpurea intexti tollant aulęa Britanni.' Secundus post hunc Claudius uenit imperator. et in Britannia imperauit quadraginta octo annis post aduentum christi. et stragem et bellum fecit magnum non absque detrimento militum. tamen uictor fuit in Britannia. et postea cum ciuilibus perrexit ad Orcades insulas et subiecit sibi et fecit eas tributarias. In tempore illius quieuit dare censum Romanis a Britannia, sed Britannicis imperatoribus redditum est. Regnauit annis tredecim mensibus septem. Cuius monumentum in Magontia apud Longobardos ostenditur. Dum iuit ad Romam ibi defunctus est. Post centum sexaginta quatuor annos post aduentum christi, Lucius Britannicus rex cum uniuersis regulis totius Britannię baptismum susceperunt missa legatione ab imperatore Romanorum et a papa Romano Euaristo. Tertius fuit Seuerus qui transfretauit ad Britannos, ubi, receptas prouincias ab incursione barbarica faceret tutiores, murum et aggerem a mari usque ad mare per latitudinem Britannię, id est per centum triginta duo milia passuum deduxit, et uocatur britannico sermone *guaul*. propterea iussit fieri inter Britones et pictos scotosque, quia scoti ab occidente et picti ab aquilone unanimiter pugnabant contra Britones, nam et ipsi pacem inter se habebant; et non multo post dolo britannorum eboraci moritur intra Britannia. Quartus fuit Carutius imperator et tyrannus, qui et ipse uenit in Britanniam tyrannide quia propterea tyrannus fuit pro occisione Seueri cum omnibus Ducibus Romanicę gentis qui erant cum eo in Britannia, transuerberauit omnes regulos Britonum uindicans ualde seuerum ab eis. et purpuram Britannię occupauit. Quintus Constantius Constantini magni filius fuit et ibi moritur et sepulcrum illius monstratur iuxta urbem quę uocatur Cair Segeint: ut litterę quę sunt in lapide tumuli ostendunt. Et ipse seminauit tria semina in pauimento supradictę ciuitatis, ut nullus pauper in ea manserit umquam, et uocatur alio nomine *Minmanton*. Sextus Maximus imperator regnauit in Britannia.

XII A tempore illius consules esse cęperunt et Cæsares numquam postea appellati sunt. et sanctus Martinus in tempore illo claruit in uirtutibus et signis, locutusque est cum eo. Septimus imperator regnauit in Britannia dictus Maximus. ipse perrexit cum omnibus militibus Britonum a Britannia et occidit Gratianum regem Romanorum et imperium tenuit totius Europę noluitque dimittere milites qui cum eo perrexerunt a Britannia neque ad uxores suas neque ad filios neque ad

possessiones eorum, sed dedit illis multas regiones a stagno quod est super uerticem Montis Iouis usque ad ciuitatem quae uocatur Cantguic et usque ad cumulum occidentalem, id est Crucohideint. Hi sunt Britones Armorici et numquam reuersi sunt ad proprium solum usque in hodiernum diem. Propter hoc Britannia occupata est ab extraneis gentibus et ciues eius expulsi sunt usque dum deus auxilium dederit illis. In ueteri traditione seniorum nostrorum uij imperatores fuerunt a Romanis in Britannia: Romani autem dicunt nouem fuisse. Octauus fuit Seuerus alius: aliquando in Britannia manebat, aliquando ad Romam ibat et ibi defunctus est. Nonus fuit Constantinus. ipse regnauit sedecim annis in Britannia et in septimo decimo anno imperii sui obiit in Britannia Eboraci ut dicunt.

XIII Huc usque regnauerunt Romani apud Brittones quadragentum et nouem annis. Britones autem deiecerunt regnum Romanorum neque censum dederunt illis neque reges illorum acceperunt ut regnarent super eos, neque Romani ausi sunt ut uenirent in Britanniam amplius ad regnandum, quia duces illorum Britones occiderant. Iterum repetendus est sermo de Maximiano tyranno. Gratianus cum fratre Ualentiniano regnauit annis sex. Ambrosius mediolanensis episcopus clarus habetur in catholicorum dogma. Ualentinianus cum Theodosio regnauit annis octo. Sinodus constantinopolim trecentis quinquaginta patribus celebratur, in qua omnes haereses damnantur. Ieronimus presbyter Bethleem toti mundo claruit. tum Gratianus imperium in toto mundo regebat, in Britannia per seditionem militum Maximianus imperator factus est quo mox in Gallias transfretante, Gratianus Parisiis Meroblaudis magistri militum proditione superatus est et fugiens Lugduni captus atque occisus est. Maximianus Uictorem filium suum consortem fecit regni. Martinus Turonensis episcopus in magnis uirtutibus claruit. Post multum interuallum temporis a Ualentiniano et Theodosio consulibus in tertio ab Auuleua lapide spoliatus indumentis regalibus sistitur in capite damnatur. Cuius filius Uictor eodem anno ab Argabaste comite interfectus est intra Galliam. peractis a mundi initio annis quinque milia sexcentis nonaginta.

XIII Tribus uicibus occisi sunt duces Romanorum a Britonibus. Britones autem dum anxiarentur a barbarorum gentibus, id est Scottorum et Pictorum, auxilium flagitabant Romanorum et dum legati mittebantur cum magno luctu et cum sablonibus super capita sua intrabant et portabant magna munera secum pro admissio scelere occisionis ducum. et suscipiebant consules grata dona ab illis. Promittebant ergo Britones cum sacramento accipere iugum Romanici iuris, licet durum fuisset, et Romani uenerunt cum exercitu maximo auxilium illorum et posuerunt duces at imperatores in Britannia. Et composito imperatore cum ducibus reuertebantur exercitus ad Romam, et sic alternatim per quadringentos et quadraginta octo annos faciebant. Britones autem propter grauitatem imperii occidebant duces Romanorum et auxilium postea petebant. Romani autem ad imperium auxiliumque et ad uindicandum ueniebant et spoliata Britannia auro

argentoque et omni pretiosa ueste et melle cum magno triumpho reuertebantur. factum est autem post supradictum bellum quod fuit inter Britones et Romanos quando duces illorum occisi sunt, occisionem maximi tyranni transactoque Romanorum in Britannia imperio per quadraginta annos sub metu fuerunt. Gortegirnus regnauit in Britannia et dum ipse pugnabat, urgebatur a metu pictorum scottorumque et a Romano impetu nec non et a timore Ambrosii.

XV Interea uenerunt tres ciulæ a germania in exilio pulsę in quibus erant hors et Hengist, qui et ipsi fratres erant, filii Guitglis, filii Guicta, filii Guecta, filii Woden, filii frealaf, filii fredulf, filii Fuin, filii folewald, filii Geata, qui fuit ut aiunt filius dei. numquid ipse est deus exercituum uel deus deorum. Sed unus est ab idolis eorum quę ipsi colebant. Gortegirnus autem suscepit eos benigne et tradidit eis Insulam quę lingua eorum uocatur Thaneth, britannico sermone Ruochin. regnante Martiano secundo quando Saxones a Gortegirno suscepti sunt anno quadringentesimo quadragésimo septimo post passionem Christi. In tempore illius uenit sanctus Germanus Autissidotensis urbis episcopus ad prædicandum in Britannia et claruit apud illos in multis uirtutibus et multi per eum salui facti sunt increduli perierunt. Aliquanta miracula quę per illum deus fecit, scribenda decreui. Incipiunt paucę de multis. Primum miraculum de miraculis eis. Erat quidam rex ualde iniquus atque tyrannus, cui nomen erat Benli. Et ille uir sanctus Germanus uoluit uisitare et properare ad iniquum regem ut prædicaret illi uiam salutis. At cum ipse homo dei uenisset ad ostium urbis cum comitibus suis, uenit portarius et salutauit eos. Et miserunt eum ad regem et rex durum responsum dedit illis. et cum iuramento dixit: "Si fuerint uel si manserint usque ad caput anni, non uenient umquam in medio urbis meę." Sed ipsi expectabant ianuatorem ut renunciaret illis sermonem tyranni sol declinabat ad uesperum et nox appropinquabat. quo irent nesciabant. Interea uenit unus de seruis regis e medio urbis et inclinauit se ante uirum dei et nuntiauit illis omnia uerba tyranni inuitauitque illos ad casam suam. et exierunt cum illo quos benigne suscepit. et nichil omnino homo ille in pecudibus habebat excepta uacca una cum uitulo. Quid ergo uitulum occidit, coxit et posuit ante seruum dei ceterosque socios eius. Quibus sanctus Germanus præcepit ut non confringeretur os de ossibus uituli. et sic factum est. In crastino uitulus inuentus est ante matrem suam sanus incolumisque dei misericordia et oratione sancti Germani. Iterum de mane surrexerunt ut impetrarent aditum urbis iuxta portam præstolantes et ecce uir unus currebat et sudor illius a uertice usque ad plantas pedum distillabat. inclinabat se ante eos et dixit sanctus Germanus: "credis in sanctam trinitatem?" et respondit ille: "credo." et baptizatus est et osculatus est ab eo, cui dixit sanctus Germanus: "uade in pace: in ista hora morieris et Angeli dei sunt in aere. expectant ut gradieris cum illis ad deum, cui credidisti". et ipse lætatus intrauit in arcem et præfectus tenuit illum et alligauit. qui ante tyrannum deductus et interfectus est. mos enim erat apud nequissimum tyrannum nisi quis ante solis ortum uenisset ad seruitutem in arce, interficiebatur. Et manserunt tota die iuxta

portam ciuitatis nec impetrauerunt ut saluarent tyrannum. Solito more affuit supradictus seruus et dixit illi sanctus Germanus: "Caue ne in hoc nocte aliquis de familia tua maneat in Arce." ille iterum reuersus est ad Arcem et deduxit filios suos, quorum numerus erat nouem. Et ipsi ad supradictum hospitium cum domino suo reuersi sunt. Pręcepitque sanctus Germanus manere eos ieiunos. Et clausis ianuis dixit: "uigilantes estote et si quid uenerit in arce, nolite aspicere, sed orate attentius et indesinenter ad Deum uestrum clamate." Et post modicum interuallum noctis ignis de coelo cecidit et combussit arcem et omnes homines qui cum tyranno erant. nec ultra apparuerunt. nec arx reędificata est usque in hodiernum diem. In crastino ille uir qui sanctum hospitaauerat credit et baptizatus est cum omnibus filiis suis et omnis regio cum eis. Nomen uiri erat ketil et bendixit ei addiditque et dixit: "Non deficiet de semino tuo qui uiuat in longitudinem diem." Ipse est ketel Durnluc dux. "Et tu eris" ait Germanus "rex ab hodierna die." Et sic euenit et impletum est quod per prophetam dicitur: 'Suscitans de puluere egenum et de stercore erigens pauperem ut sedeat cum principibus et solium glorię teneat.' Iuxta uerba sancti Germani rex de seruo factus et omnes filii eius facti sunt reges, et a semine eorum omnis regio pouisorum regitur usque in hodiernum diem.

XVI Factum est autem postquam metati sunt Saxones in supra dicta Insula Taneth, promisit rex supradictus dari illis uictum et uestimentum absque defectione; et placuit illis et ipsi promiserunt expugnare inimicos eius fortiter. At illi Barbari cum multiplicati essent numero, non potuerunt Britones cibare illos. cum postularent cibum et uestimentum, sicut promissum erat illis, dixerunt Brittones: non possumus dare uobis cibum et uestimentum, quia numerus uester multiplicatus est, sed recedite a nobis, quia auxilio uestro non indigemus. et ipsi consilium fecerunt cum maioribus suis, ut pacem dirumperent. Hengistus autem, cum esset uir doctus atque astutus et callidus, cum explorasset super regem inertem et super gentem illius quod sine armis utebatur, inito consilio dixit ad regem Britannicum: "Pauci sumus; si uis, mitemus ad patriam nostram ut inuitemus milites de militibus regionis nostrę, ut sit amplior numerus ad certandum pro te et pro gente tua." Et rex hoc idem concessit qui protinus ilico miserunt et legati transfretauerunt trans scithiam uallem. qui reuersi sunt cum ciulis decem et septem, militesque electi uenerunt in illis. et in una ciula uenit puella pulchra ualde atque decora. hęc erat filia hengisti.

XVII Postquam uenissent ciule, fecit conuiuium hengistus Gortegirno regi militibusque suis et interpreti suo, qui uocabatur Cerdic. puellamque iussit ministrare illis uinum et siceram. qui inebriati sunt nimis et saturati. Illis bibentibus intrauit Satanas in corde Gortegirni ut ad amaret puellam et postulauit eam a patre suo per interpretem suum et dixit: "Omne quod postulas a me impetrabis, licet dimidium regni mei." Et hengistus, inito consilio cum suis senioribus qui secum uenerunt de insula Oghgul quęsiuit ab eis quid peterent regi pro puella, unum

consilium omnibus illis fuit ut peterent regionem quę in lingua eorum uocatur Contguaralan, in nostra autem chent. Et dedit illis Goirangono regnante in cantia et inscius erat quod traditum esset regnum ipsius paganis et ipse solus in potestatem eorum clam dari. Et sic data est puella illi in coniugium et dormiuit cum ea et adamauit eam ualde. Dixitque Hengistus ad regem: "ego sum pater tuus et consiliator ero tibi et noli preterire consilium meum umquam, quia non timebis te superari ab ullo homine neque ab ulla gente: gens enim mea ualida est. Inuitabo itaque filium meum cum fratrueli suo, bellatores enim sunt uiri, ut dimicent contra scottos et da illis regiones quę sunt in aquilone iutxta murum qui uocatur Guaul." et iussit ut inuitaret eos. qui inuitauit Octham et Ebisam cum xl ciulis. At ipsi cum nauigarent circa pictos, uastauerunt Orcades insulas ueneruntque et occupauerunt plurimas insulas uel regiones trans mare fresicum usque ad confinia pictorum et hengistus semper ciulas ad se paulatim inuitauit, ita ut insulas ad quas uenerant absque habitatore relinquerent. Cumque gens illius creuisset et in uirtute et in multitudine, uenerunt ad supradictam Cantuariam. Et super hec omnia mala adiciens Gortegirinus accepit filiam suam in uxorem sibi. quę peperit ei filium. hoc autem cum compertum esset a sancto Germano, uenit corripere regem cum omni clero Britonum. et dum conuenta est magna sinodus clericorum ac laicorum in uno consilio, ipse rex premonuit filiam suam ut exiret ad conuentum et ut daret filium suum in sinum Germani diceretque quod ipse erat pater eius. At ipsa fecit edocta sicut erat. Germanus eum benigne accepit et dicere cepit: "Pater tibi ero. nec te permitto nisi michi nouacula cum forcipe pectineque detur et ad patrem tuum carnalem tibi dare liceat. Mox ut audiuit puer, usque ad aum suum carnalem patrem scilicet Gorthegirni perrexit. et illi dixit: "pater meus es. caput meum tonde et comam capitis mei." ille autem siluit et puero respondere noluit, sed surrexit iratusque est uehementer, ut a facie sancti Germani fugeret. querebat et maledictus est et dampnatus a beato Germano et consilio.

XVIII Post hoc igitur ad se inuitauit magnates suos ut ab eis interrogaret quid faceret. At illi dixerunt "in extremas fines regni tui uade ut arcem munitam construas, in qua te defendas; quia gens quam suscepisti inuidet tibi et fraude dolosa te occidet et uniuersas regiones quas amaristi occupabit cum uniuersa tua gente post mortem tuam." postea uero ipse rex arcem cum magis suis adipisci uenit et per multas regiones multasque prouincias peragrauerunt et minime quod querebant reperientes. Nouissime ad illam regionem quę uocatur Guoient peruenerunt. Et illo lustrante in montibus heriri tandem in uno montium locum in quo aptum erat arcem condere, adeptus est. Et magi ad illum dixerunt "Arcem in isto loco fac, quia tutissima a barbaris gentibus in eternum erit." Ipse uero artifices congregauit, id est lapidinos et lapides et ligna congregauerunt. Cum uero congregata esset omnis materia in una nocte omnino ablata est tribusque uicibus iussit congregari et nusquam comparuit. Tunc magos suos arcessiuit. illos percunctatus est quę esset hec causa malitię et cur hoc euenerit. At illi

responderunt "Nisi infantem sine patre quęsieris ut habetis qui occidatur et arx de suo sanguine conspergatur, numquam ędificabitur in ęternum. Rex uero concite legatos." ex consilio magorum misit per uniuersam Britanniam utrum infantem sine patre inuenirent. At illi lustrando omnes prouincias regionesque plurimas uenerunt ad campum Eleti qui est in regione quę uocatur Gleuissing et pilę ludum faciebant pueri. Et ecce duo inter se litigabant dixitque alter alteri: "O homo sine patre, bonum non habebis." Et illi de puero diligenter percunctantes ad puerum eiusque matrem si patrem haberet. At illa negauit et dixit "Nescio quomodo in utero meo est conceptus. sed unum scio, quia uirum numquam cognoui." Et iurauit illis patrem non habere. et legati secum duxere usque ad Gorthegirnum regem quem insinuauerunt regi. In crastino conuentio facta est ut puer interficeretur. et puer dixit regi "cur uiri tui me ad te detulerunt?" Cui rex ait "ut interficiaris et sanguis tuus circa arcem istam aspergetur ut possit ędificari." Respondit puer regi "quis tibi monstrauit?" Et rex "magi mei dixerunt." Cui dixit puer "ad me uocentur." Et inuitati sunt magi. Quibus et dixit "Quis uobis reuelauit ut ista arx a sanguine aspergeretur? et nisi aspergeretur sanguine meo numquam ędificaretur? Sed hoc cognoscam: quis e uobis de me palam fecit?" Et iterum puer dixit "modo tibi enucleabo rex et in ueritate omnia pandam. sed ad magos tuos percunctor 'Quid in pauimento istius loci est?' Placet enim ut tibi ostendant quid sub pauimento habetur." At illi dixerunt "nos nescimus." Et ille dixit "Ego comperior. Stagnum in medio pauimenti est. uenite et fodite et sic inuenietis." Iterum dixit ad magos "proferte michi: quid est in stagno?" Magi siluerunt et non potuerunt reuelare illi. At ille dixit illis "Ego uobis propalabo. Duo uasa sunt et sic inuenietis." uenerunt et uiderunt sic. Et puer ad magos dixit "Quid in uasis conclusis habetur?" At ipsi siluerunt et non potuerunt reuelari puero et ille asseruit "In medio eorum tentorium est. separate ea et sic inuenietis." Et rex separari iussit et sic inuentum est tentorium complicatum, sicut dixerat. Iterum puer interrogauit magos "Quid est in medio tentorii? Iam nunc narrate." Et non potuerunt. Dixitque puer "Duo uermes in eo sunt, unus albus et unus rufus. Tentorium expandite." Et extenderunt duoque uermes in eo dormientes inuenti sunt. Et dixit puer "expectate et considerate quid facturi sunt uermes." euigilantes autem cęperunt alter alterumque expellere insimulque bellare. Alius autem scapulas suas ponebat ut alterum usque ad dimidium tentorii aliquando usque ad horam⁷ tentorii pellebat et sic pugnabant tribus uicibus. Tamen tandem qui infirmior uidebatur uermis rufus. postea fortior Albo fuit et extra finem tentorii pepulit. Tunc uictor superato secutus est trans stagnum et tentorium euanuit.

XVIII Post hoc puer magos percunctatus est "Quid significat hoc mirabile signum quod factum est in tentorio?" At illi responderunt "Nescimus." Et ait puer "En michi reuelatum est hoc misterium et ego uobis propalabo." dixitque rege "Regni tui

⁷ oram

est figura tentorii; duo uermes duo sunt dracones; uermis rufus draco tuus est; et stagnum figura est huius mundi est. At ille albus draco illius gentis quę occupauit regiones et gentes plurimas in Britannia et pene a mari usque ad mare tenebunt. Et postea gens nostra surget et gentem anglorum trans mare uiriliter deiciet. tu de ista arce uade quia edificare eam non poteris et multas prouincias peragra, ut tutam arcem inuenias. Ego quidem hic manebo.” Et rex ad Adolescentem dixit “quo nomine uocaris?” ille respondit “Ambrosius uocor”, Embreis gleutic esse uidebatur. Dixitque rex “De qua progenie ortus es?” At ille “unus de consulibus gentis Romanicę est pater meus.” Tunc rex dedit illi arcem cum omnibus prouinciis plagę occidentalis Britannię, et ipse cum magis suis ad sinistram plagam peruenit et usque ad regionem quę uocatur Guennesi affuit. Et urbem quę uocatur nomine suo cair Gortegirn edificauit.

- XX** Interea Gortemir filius Gortegirn cum Henggist et Horso et illorum gente potenter pugnant et eos usque ad Insulam quę dicitur Taneth expulit illosque illic tribus uicibus conclusit, percussit, obsedit, comminuit terruit. Ipsi itaque legatos trans mare usque in germaniam miserunt, uocando ciulas cum ingenti numero bellatorum uirorum. Et postea pugnant contra reges gentis nostrę. aliquando uincebant et dilatabant terminos suos. Aliquando uincebantur et expellebantur. Et Gortemir iiii bella contra illos auide gessit.
- XXI** Primum bellum super flumen Deruent. Secundum bellum super uadum quod dicitur in lingua eorum Episford, in nostra autem lingua Sathaneghabail, et ibi cecidit horsa cum filio Gortegirno rege cuius nomen erat Cathigirinus. Tertium bellum in campo iuxta lapidem tituli qui est super ripam gallici maris. Statutum est et barbari uicti sunt illeque uictor fuit et ipsi in fugam usque ad ciulas suas uersi sunt in eas muliebriter intrantes. Ille autem post modicum interuallum mortuus est et ante mortem suam animaduertit ut illius sepulchrum in portu poneretur a quo exierant, “super ripam maris in quo uobis commendo quamuis in alia parte portum Britannię teneant habitauerunt, tamen in ista terra in eternum non manebunt.” Illi autem mandatum eius contempserunt et eum in loco in quo imperauerat illis non sepelierunt. At barbari magnopere reuersi sunt, cum Gortegirnis amicus illorum propter uxorem suam⁸ et nullus illos abigere ultra audacter ualuit, quia non de uirtute sua Britanniam occupauerunt sed nutu diuino. Contra uoluntatem dei quis resistere nitatur? Sed quomodo uoluit dominus fecit et ipse omnes gentes gubernat et regnit.
- XXII** Factum est autem post mortem Gortemir regis Gortegirni filii et post reuersionem hengisti cum suis turmis fallax consilium hortati sunt ut dolum Gortegirno cum exercitu suo facerent. At illi legatos ut pacem impetrarent miserunt, et ut perpetua amicitia inter illos fieret. Et Gortegirinus cum suis maioribus natu consilium fecerunt et scrutati sunt quid facerent. tandem

⁸ erat *omitted*

consilium omnibus fuit ut pacem facerent, et legati eorum reuersi sunt. Postea uero conuentum adduxerunt et ex utraque parte Britones Saxonesque in unum sine armis conuenirent. Statutus est et amicitia firma ad inuicem esset. Hengistus nequissimus omni familiae suae iussit quod unusquisque artuum suum sub pede suo in medio ficonis sui poneret. “Et quando clamauero ad uos et dixerō ‘nimiti youe saxas’, cultellos uestros de ficonibus uestris deducite, et in illos irruite, et fortiter contra resistite. regemque eorum nolite occidere, sed pro causa filię meę, quam dedi illi in coniugium, tenente: quia melius est nobis ut ex manibus nostris redimatur.” Conuentum adduxerunt et in unum conuenerunt. et amicabiliter locuti sunt et in mente interim uulpiculo more agebant et uir iuxta uirum socialiter sederunt. et hengistus sicut dixerat uociferatus est et omnes seniores quadringenti Gortegirni regis sunt iugulati. ipseque solus captus et catenatus est et regiones plurimas pro redemptione animę suę tribuit illis, id est Eastsaxa, Suthsaxum, ut ab illiciter coniunctione se separaret⁹.

XXIII Sanctus uero Germanus Gortegirno prædicabat ut ad dominum se conuerteret. At ille usque ad regionem quę a nomine suo acceperat nomen, scilicet Gortegirniaun, miserabiliter aufugit ut ibi cum mulieribus suis lateret. Sanctus itaque Germanus eum persecutus est cum omni clero Britonum et ibi quadraginta diebus totidemque noctibus mansit et super petram orabat ibique die noctuque stabat. et iterum Gortegirnus usque ad arcem quam edificauerat et nomen suum imposuerat atque in regione Demetorum iuxta flumen teibi ignominiose abscessit. Solito autem more sanctus Germanus eum secutus est et ibi ieiunus cum omni clero suo tribus diebus totidemque noctibus causaliter mansit. In quarta uero nocte arx tota circa medię noctis horam per ignem de caelo missus ex inproiso cecidit ardente igne cęlesti et Gortegirnus cum omnibus qui cum eo erant et cum uxoribus suis defecit. Hic est finis Gortegirni, sicut in libro sancti Germani repperi. Alii autem aliter dixerunt. Postquam exosi fuerunt illi omnes homines gentis suę pro piaculo suo inter potentes et inpotentes, inter seruum et liberum, inter monachos et laicos, inter paruum et magnum, et ipse dum de loco ad locum uagus errat, tandem cor eius crepuit. Et defunctus est, non cum laude. Alii dixerunt terram apertam esse quę eum deglutiuit nocte in qua combusta est arx circa eum, quia non sunt inuentę ullę reliquię illorum qui combusti sunt cum eo in arce. Tres filios habuit quorum nomina hæc sunt: Gortemir, qui pugnauit contra Barbaros, ut supra scripsi; Secundo Categirn; tertius Paschentius, qui regnauit in duabus regionibus, id est Buelt et Gortegirniaun post mortem patris sui largiente suffragium ambrosio, qui fuerat rex in omnes regiones Brittannię gentis. iiii fuit Faustus, qui illi de filia sua natus est, quem sanctus Germanus baptizauit enutriuit atque docuit et condidit

⁹ *This clause should follow conuerteret in the next chapter.*

locum magnum super ripam fluminis quod uocatur Renis et manet usque hodie. Quintam habuit filiam quę ut diximus mater fuit sancti Fausti.

XXVIII Hęc est genealogia illius quę ad initium retro currit. Fernimail ipse est qui regnat modo in regione Gortegirniaun, filius theudubr. et ipse Theudubr ipse est rex Buelt regionis. Teudubir filius Paschentis map guiocan map moriud map eldat map eldoe map paul map meprit map briecat map paschent map¹⁰ gortheneu filii guitaul map guitolin map gloui. bonus, paul, mauron tres fratres fuerunt filii gloui qui ędificauit urbem magnam super ripam fluminis Sabrinę quę uocatur britannico sermone cair gloui, Saxonice autem gloucester. satis dictum est de gortegirno et de regno eius et de genere eius.

XXV Beatus uero Germanus reuersus est post mortem Gortegirn ad patriam suam. et sanctus Patricius erat in illo tempore captiuus apud Scottos et dominus illius dicebatur milchu et porcarius erat cum illo. Et in septimo decimo anno ętatis suę de captiuitate sua reruersus est et nutu dei eruditus est in sacris litteris. ac post Romam usque perrexit. et per longum spatium ibidem mansit ad legendum scrutandaque misteria dei. sanctasque percurrit scripturas. Nam cum ibi isset per annos plurimos, missus est palladius episcopus primitus a Cęlestino papa Romano ad Scottos in Christum conuertendos. qui prohibitus est a deo per quasdam tempestates, quia nemo potest quicquam accipere in terra, nisi de cęlo datum ei fuerit. Et profectus est ille palladius de hibernia peruenitque ad Britanniam et ibi defunctus est in terra pictorum.

XXVI Audita morte palladii episcopi Patricius Theodosio et Ualentiniano regnantibus a Cęlestino papa Romano et Angelo dei, cui nomen erat uictor, monente et Germano sancto episcopo ad Scottos conuertendos in christum mittitur. Misit ergo sanctus Germanus cum illo seniore segerum ad quendam hominem mirabilem episcopum summum a matheo rege in propinquo habitantem. Ibi sanctus sciens omnia quę uentura essent, illic gradum episcopalem a matheo rege et a sancto episcopo accepit nomenque quod est patricius sumpsit, quia Mauun prius uocabatur. Auxilius yserninus et ceteri inferiori gradu simul cum eo ordinati sunt. Tunc acceptis benedictionibus perfectisque omnibus in nomine sanctę trinitatis paratam ascendit nauem et peruenit ad Britanniam insulam et prędicauit ibi non multis diebus. et <amissis>¹¹ omnibus ambulandi anfractibus summa uelocitate flatuque prospero mare hiberniam honorata naui cum transmarinis mirabilibus et spiritalibus thesauris perrexit ad hiberniam et baptizauit eos.

XXVII A mundi principio usque ad baptismum hibernensium quinque milia trecenti triginta anni sunt. in quinto Loigere regis anno exorsus est prędicare fidem dei. Sanctus itaque Patricius euangelium Christi externis nationibus per annos

¹⁰ gortegirn omitted

¹¹ omissis in *Muirchu's*
Vita Patricii

quadraginta p̄dicabat, uirtutes apostolicas faciebat, c̄cos illuminabat, surdos audire faciebat. D̄mones ab obsessis corporibus fugiebat, mortuos nouem suscitauit, captiuos multos utriusque sexus suis propriis sumptibus redemit. Scripsit <Abegetoria>¹² trecenta sexaginta quinque aut eo amplius numero. ecclesias quoque eodem numero fundauit trecentas sexaginta quinque. Ordinauit episcopos eodem numero trecentos sexaginta quinque et eo amplius in quibus spiritum dei erat. Presbiteros autem usque ~~in~~ tria milia ordinauit. et duodecim milia hominum in una regione conachta ad fidem christi conuertit et baptizauit. et reges septem qui erant filii Amolghith in uno die baptizauit. quadraginta diebus totidemque noctibus in cacumine collis Ele ieiunauit, id est cruachaneli in quo colle in ære minante tres petitiones pro his hibernensibus qui fidem christi receperunt clementer postulauit. Prima eius petitio fuit, ut fertur, quod unusquisque susciperet p̄nitentiam credentium, licet in extremo uite suę statu. Secunda: ne a barbaris consumentur in ęternum. Tertia ut non superuiuat aliquis hybernensium in aduentu iudicii. Quia delebitur pro honore Patricii septem annis ante iudicium. In illo autem tumulo benedixit populo hibernensium et ideo ascendit ut oraret pro eis et uideret fructum laboris sui. ueneruntque ad eum aues multi coloris innumerabiles ut benediceret eis, quod significat omnes sanctos utriusque sexus hibernensium peruenire ad eum in die iudicii patrem ad magistrum suum, ut sequantur illum ad iudicium. Postea in senectute bona migravit ad dominum, ubi nunc l̄tatus in s̄cula s̄culorum. amen. Quattuor modis ęquantur moyses et patricius id est Angelo sibi colloquit in rubo igneo. Secundo in monte quadraginta diebus cum noctibus ieiunauit. Tertio similes fuerunt ętate centum uiginti annis. Quarto sepulchrum eis nemo inuenitur sed in occulto humatus est nemine sciente. Quindecim annis in captiuitate in uicesimo quinto anno ab amatheo sancto episcopo subrogatur. Octoginta quinque annis in hibernia p̄dicauit. Res autem exigebat amplius loqui de sancto Patricio sed tamen pro compendio sermonis uolui breuiare. In illo tempore Saxones inualescebant et crescebant non modice in Britannia. Mortuo autem Hengisto Octa filius eius transiuit de sinistrali parte Britannię ad regem cantuariorum et de ipso orti sunt reges illius patrię.

XXVIII Arthur pugnabat contra illos in illis diebus uidelicet Saxonibus cum regibus Britonum sed ipse dux erat bellorum. Primum bellum fuit in hostium fluminis quod dicitur Glem. Secundum et tertium et quartum et quintum super flumen quod uocatur Duglas quod est in regione Linnuis. u^{um} bellum super flumen quod uocatur Bassas. Septimum bellum fuit in silua callidonis, id est cath coit celidon. Octauum fuit bellum in castello Guinnon, in quo Arthur portauit imaginem sanctę Marię semper uirginis super humeros suos et pagani uersi sunt in fugam in illo die et multi ceciderunt, plagaque magna super illos uenit per uirtutem domini nostri iesu christi sanctęque suę genetricis. Nonum bellum gestum est in urbe

¹² Abecedaria

Legionis. Decimum bellum gestum est in litore fluminis quod uocatur Ribroit. undecimum bellum fuit in monte qui dicitur agned¹³ catbregomion. Duodecimum fuit bellum in monte Badonis, in quo corruerunt in uno die octingenti quadraginta uiri de uno impetu Arthuri et nemo eos prostrauit nisi ipse solus. Ipsi uero Barbari, dum in omnibus bellis prosternebantur, auxilium a germania petebant et augebantur multipliciter sine intermissione. et reges a Germania deducebant ut regnarent super eos in Britannia, usque ad tempus quo Ida regnauit, qui fuit filius Eobba. ipse primus fuit in Bernica.

XXVIII Prima ciuitas Britannię ipsa est quę uocatur cair gortegirn, cair muncip, cair meguod, cair Ebrauc, cair caratauc, cair mauchguid, cair caint, cair peris, cair Legion, cair segeint, cair quent, cair lerion, cair pensauelcoit, cair Guintuig, cair Lualid, cair Colini, cair Custaint, cair Grauth, cair Lunden, cair Guoriagon, cair Daun, cair Guoricon, cair legion guaruisic, cair Britto, cair Draithoi, cair Urnac, cair Celeimon, cair Luitcoit. hęc sunt nomina omnium ciuitatum quę sunt in Britannia quarum numerus est uiginti octo.

de mirabilibus britannię insulę

XXVIII Primum miraculum est stagnum lummonoi quia in eo sunt insulę trecentos quadraginta et ibi habitant homines et trecentos et quadraginta rupibus ambitur et nidus aquilę in unaquaque rupe est et flumina fluunt trecentos et quadraginta in eo et non uadit ex eo ad mare nisi flumen quod uocatur Lemen. Secundum miraculum ostium trahannoni fluminis, quia in una unda instar montis ad sissam tegit litora et recedit ut cetera maria iterum. Tertium miraculum stagnum calidum quod est in regione huiccorum et muro ambitur ex latere et lapide facto et in eo uadunt homines per omne tempus ad lauandum et unicuique, sicut placuerit illi, lauacrum sic fit sibi secundum uoluntatem suam: si uoluerit, esse balneum frigidum erit, si calidum erit. Quartum miraculum est fontes de salo, a quibus fontibus sal decoquitur: aqua extracta unde omnia cibaria saliantur et non sunt prope mari, sed de terra emergunt. Aliud miraculum est dourig habren, id est duo reges Sabine. quando inundatur mare ad sissam in ostium Sabine, duo cumuli spumarum congregantur separatim et bellum faciunt inter se ad inuicem et iterum recedit alter ab altero iterumque procedunt ex uno cumulo super omnem faciem maris in unaquaque sissa. hoc faciunt ab intio mundi usque in hodiernum diem. Aliud miraculum est stagni luianę quod est aper lin luian. ostium fluminis illius fluit in Sabrina et quando inundatur Sabrinam ad sissam et mare similiter inundatur in hostio stagni supradicti fluminis et in stagno hostii recipitur in modum uoraginis et mare non uadit sursum et est litus iuxta flumen et quando Sabrina inundatur ad sissam, istud litus non tegitur et quando recedit mare et Sabrina, tunc stagnum liguanę eructat omne quod deuorauit de mari et litus istud tegitur et instar montis in una eructat unda et rumpit. et si fuerit

¹³ [br]eg[uoi]n, id [est]

exercitus totius regionis in qua est, et direxerit faciem contra undam, et unda trahit exercitum per uim humoris repletis uestibus et equi similiter trahuntur. si supradictus exercitus terga uersus fuerit contra eam, non nocet ei unda et quando recesserit mare, totum tunc litus, quod unda tegit, retro denudatus et mare recedit ab ipso. Est aliud mirabile in regione Cinloipiauc. est ibi fons nomine fontaun Guor Helic; non fluit riuus ex eo neque in eo. et uadunt homines piscari in fonte, alii uadunt in fontem ad partem orientis et deducunt pisces ex ea parte, alii ad dexteram, alii ad sinistram, ad occidentamque, et trahuntur pisces ex unaquaque parte. et aliud genus piscium trahitur ex omnibus partibus. magnum mirabile pisces inueniri in fontem dum non flumen fluit in eo neque ex eo, et in eo inueniuntur quattuor genera piscium et non est de magnitudine neque de profunditate. profunditas illius usque ad genua, uiginti pedes in longitudine et latitudine, ripas altas habet in omni parte. iuxta flumen quod uocatur Goy, poma inueniuntur super fraxinum in procliuio saltus, qui est prope hostium fluminis. Est aliud mirabile in regione quę dicitur Guent. est ibi fouea a qua uentus flat per omne tempus sine intermissione, et quando non flat uentus in tempore ęstatis, de illa fouea incessanter flat ita ut nemo possit sustinere neque ante foueam pro frigiditate. et uocatum est nomen eius huit quint Britannico sermone, Latine autem flatio uentis. magnum mirabile est uentum de terra flare. Est aliud mirabile in Guir altare quod est in loco quod dicitur loingarch, quod nutu dei fulcitur. fabulam istius altaris melius mihi uidetur narrare quam reticere.

XXX factum est autem dum sanctus eltutus orabat in spelunca quę est iuxta mare quod alluit terram supra dicti loci, os huius speluncę ad mare est, et ecce nauis nauigabat ad se de mari et duo uiri remigantes eam et corpus cuiusdam sancti hominis erat cum illis in naue et altare supra faciem eius, quod nutu dei fulciebatur et processit homo dei in obuiam illorum et corpus sancti hominis de naue duxerunt et altare inseparabiliter supra faciem sancti corporis stabat. et dixerunt ad sanctum eltutum “eum homo dei commendauit nobis ut deduceremus eum ad te et sepeliremus eum tecum et nomen eius non reueles ullo homini, ut non iurent per se homines.” et sepelierunt eum et post sepulturam illi duo uiri reuersi sunt ad nauim et nauigauerunt. at ille sanctus eltutus ecclesiam fundauit circa corpus sancti hominis et circa altare et manet usque in hodiernum diem altare potestate dei fulcitur. uenit quidam regulus ut probaret portans uirgam in manu sua. curauit eam circa altare et tenuit ambis manibus uirgam ex utraque parte et traxit et sic ueritatem huius rei probauit. set ille postea mensem integrum non uixit. alter autem sub altare aspexit et aciem oculorum eius amisit et ante mensem integrum uitam finiuit. Est autem aliud mirabile in supra dicta regione, id est Guent. est ibi fons iuxta uallum putei Mauric et lignum in medio fontis et lauant homines manus suas cum faciebus et lignum sub pedibus suis habent quando lauant. nam et ego uidi et probaui. quando mare inundatur ad malinam extenditur Sabrina super omnem maritimam et tegit et usque deducitur ad fontem et impletur fons de sissa Sabrinę et trahit

lignum secum usque ad mare magnum et per spatium trium dierum in mare inuenitur et in quarto die in supra dicto fonte inuenitur. factum est autem ut unus de rusticis sepeliret eum in terra ad probandum, et in quarto die inuentus est in fonte et ille rusticus qui eum abscondidit et sepeliuit statim defunctus est.

XXXI Est aliud mirabile in regione que dicitur buelt. est ibi cumulus lapidum et unus superpositus super congestum cum uestigio canis in eo. quando uenatus est porcus troit, impressit cabal, qui erat canis Arthuri militis, uestigium in lapide. et Arthur postea¹⁴ congestum lapidum sub lapide in quo erat uestigium canis sui, et uocatur carn cabal. et ueniunt homines et tollunt lapidem in manibus suis per spatium diei et noctis et in crastino inuenitur super congestum suum.

XXXII Est aliud miraculum in region Ercing. habetur sepulcrum iuxta fontem qui uocatur oculus Amr, et uiri nomen qui sepultus est in tumulo sic uocabatur Amr: filius Arthuri militis erat et ipse occidit eum et sepeliuit. et ueniunt homines ad mensurandum tumulum in longitudine aliquando sex pedes, aliquando nouem, aliquando duodecim, aliquando quidecim. in qua mensura metieris eum in ista uice, iterum non inuenies eum in una mensura, et ego ipse probaui.

XXXIII de mirabilibus monie insule.

Primum miraculum est litus sine mare. Secundum miraculum est ibi mons qui giratur tribus uicibus in anno. Tertium miraculum est uadum ibi: quando inundatur mare et ipse inundatur et quando decrescit mare et ipse minuitur. Quartum miraculum est lapis qui ambulat in nocturnis temporibus super uallem Ciheinn, et proiectum est olim in uoragine polcerist, qui est in medio pelagi quod uocatur Manei, et crastino super ripam supradictę uallis sine dubio inuentus est. Est ibi stagnum quod uocatur Luchlein. quattuor circulis ambitur. primo circulo gronnita stanni, id est stain, ambitur; secundo circulo gronna, id est muin, plumbi ambitur; tertio circulo gronna ferri ambitur; quarto circulo gronna aeris ambitur, et in eo stagno margarite multę inueniuntur, que ponunt reges in auribus suis. Est aliud stagnum qui facit ligna arescere in lapides durescere. homines autem fingunt ligna et postquam formauerint, proiciunt in stagno, et manet in eo usque ad caput anni et in capite anni lapis reperietur luch echac.

XXXIII Est aliud mirabile in regione que uocatur Ceretum. est ibi mons qui cognominatur Cruc Mare et est sepulcrum in cacumine illius et omnis homo quicumque uenerit ad sepulcrum et extenderit se iuxta illud, quamuis breuis fuerit, in una longitudine inuenitur sepulcrum et homo, et si fuerit homo breuis et paruus, similiter et longitudinem sepulcri iuxta staturam hominis inuenitur. et si fuerit longus atque procerus, etiam si fuisset in longitudine quattuor cubitorum, iuxta staturam uniuscuiusque homini sic tumulus inuenitur. et omni peregrinus tediosus qui tres flectiones flectauerit iuxta illud, non erit tedium

¹⁴ congregauit *omitted*

super eum usque ad diem mortis suae et non grauabitur iterum ullo tēdio
quamuis habitasset solus in extremis finibus cosmi.